

Illis namque, qui in servicio vestro usque in finem vitae suae fideliter perseverant, decet vestram magnificentiam non solum grates referre, sed eorum successoribus, filiis et nepotibus, ut propter hoc etiam illis tanto favorabiliter existatis.

Tempora vestra non inutiliter expendatis, quia tempore nihil pretiosius, ut diem non vertatis in noctem et noctem in diem, ut, proh dolor! hodie fere omnes dominorum domestici et divites huius saeculi faciunt, quo mala infinita, tam animarum dampna quam etiam bonorum temporalium et corporum subsequuntur, et ex hoc crescit in omne malum vehementius (f. 245) totum genus mortaliū.

Horas diei, si placet, taliter distinguatis, ut primo mane vacetis soli deo et vobis orando, horas canonicas personaliter et intentione vobis possibili legendo et missam devote audiendo vel etiam aliquando, si non in publico, tamen in privato, celebrando secundum quod tempus expostulat aut res, id est: secundum quod occupatio permittit aut devocio excitat. De missa audienda, quam utile sit et salutiferum, secundum quod dominus dederit, postea aliquid annectam.

Deinde divino peracto officio, si tempus patitur, consiliis insistatis in causis arduis, vel potius, si placet, ante missam hora ordinetur ad hoc, qua ad vos convenient vestri speciales de consilio ad videndum, si quae occurrant tractanda de arduis vel necessariis, quod mens seu intellectus hominis de mane ieiuno stomacho ad aliquid captandum eo ingeniosior et aptior hora serotina, quo minus gravatur natura de singulis. Experientia docente videmus, quod hoc homo ieiunus de mane capit, discernit atque diffinit, quod facto prandio aut cena et repleto stomacho nullatenus posset aut valeret. Etiam homines illa hora magis sunt docibiles, plures in consiliis conveniunt et, licet omnes bene velint et iuste, non omnes tamen ad eundem intellectum capiunt materiam. Necesse ergo in quocumque bono consilio, quod sanior pars praevaleat, et alia cedat, et hoc quietius, lenius ac convenientius fit de mane quam de sero. Sapientum est dicere audita aliqua difficili materia: 'dormitabimus super huiusmodi et tunc respondebimus'. Non gratis aurora dicta illa hora quasi aurea hora, quod, sicut aurum omni metallo, sic illa praevalet omni hora. Vidi etiam ego in curiis plurium dominorum et praecipue in curia domini ducis Burgundiae piae memoriae, ubi aderat sapientia tunc magna, prout (f. 245^v)